Uti homines singulos continuas domos tenentes consuetudine familiari vel contentionibus inimicis alterum per alterum mutari necesse est, ita etiam gentium finitimos agros obtinentium vicinitate multarum rerum commutationem effici veri est simillimum. Quid mirum igitur, quod Graeci iam inde ab antiquissimis temporibus valuere ad mores Romanorum permutandos! quamquam non dubitari potest, quin initio pro difficultate commercii vis Graecorum haud ita magna fuerit, vim fuisse testis est Hesiodus[1]) cum mentionem facit Agrii et Latini Tyrrhenorum regum, unde conici potest Graecis non ignotas fuisse Latii oras, testis Cicero[2]) Romulum dona magnifica quasi libamenta praedarum Delphos ad Apollinem misisse, testis Livius[3]) Tarquinii filios Delphos profectos esse, ut Apollinis oraculum consulerent; exstat praeterea ingens eiusmodi testimoniorum numerus, quibus certe supersedere licet.[4]) E paucis his rebus breviter allatis effici potest Romanos iam antiquissimis illis temporibus non sine contagione Graecorum fuisse. Neque tamen negari potest omnem Graecorum vim diu non pertinuisse nisi ad mores et vitae instituta, etsi valde dubitari potest, num Tullius[5]) Romanos, quae a Graecis accepissent, meliora fecisse recte contenderit, vel disceptari cum Ellendtio,[6]) viro doctissimo, qui tantam moris Romani Graecique discrepantiam fuisse putet, ut quidquid ab illo ad huius similitudinem informaretur, in peius cederet. Qualiacunque igitur fuerunt Romanorum et Graecorum antiquioribus illis temporibus commercia, qua re omnibus Graecia excellebat gentibus, litteras Graecorum nondum valuisse ad excolendos Romanos rusticos iam inde elucet, quod usque ad bellum Punicum secundum tantum non caruere litteris Romani.[7]) Qua re disertos homines exstitisse Romae iam ante hoc temporis momentum minime excluditur; immo vero pro certo haberi potest disertos fuisse homines multos quamvis pro ratione aetatis rudes omnique arte destitutos.

Quae vero erat tertio illo secundoque ante Christum natum saeculo facundiae Graecae condicio? Demosthenis aetate eloquentia Graecorum cum tamquam ad summum fastigium pervenisset, mox secundum illam tristem rerum omnium humanarum condicionem, qua omnia ad summum fastigium perducta velocius, quam ascenderunt, relabuntur, praeclarissima illius aetatis eloquentia, de fastigio suo deiecta, ad infimum revertit. Sed sicuti gentes non omnes in omnibus rebus proficiunt et aliae aliis succrescunt, ita etiam in singulis litterarum generibus aliud alio excipitur. Hoc modo poesim sermo pedestris secutus est, in ipso pedestri sermone deinceps diversa genera exculta sunt, atque cum in eo esset, ut eloquentia paene obmutesceret, rhetorices declamationisque genera laetius

---

1) Theogon. v. 1014.
2) de republ. II. 24.
3) Livius I. 56.
4) Mommsen Röm. Gesch. Lange Röm. Alterth. G. A. Saalfeld, Italograeca. Programm Prenzlau 1882.
5) Tuscul. I. 1.
6) Ellendt praef. ad Cic. Brutum p. 5.
7) Ellendt. l. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

effloruere. Tres rhetorum sectae tertio illo saeculo summa afficiebantur laude, Isocrateorum, Aristotelicorum, Hermagoraeorum[8]). Eloquentia interea quominus plane obmutesceret, cum Romani nondum eam maturitatem nacti essent, qua heredes Graecis digni fierent, Asia prohibuit. Etsi Cicero[9]) eloquentiam Graecam, ut semel e Piraeo evecta esset, omnes agros peragrasse dicit, initio tamen in Asia et Rhodi[10]) se continuit, ubi gentium colluvione integritatem suam atque speciem incorruptam plane amisit; tria eloquendi genera[11]) discernuntur, unum Asianum, alterum Atticum, tertium Rhodium. Asiani[12]), inflati atque nimis redundantes, tumidi verbis sententiisque argutis referti nihil egere praeceptis eloquentiam putarunt et natura sua vulgari contenti in scholarum exercitatione non solum acquieverunt, sed etiam aliorum diligentiam riserunt[13]). Contra Attici[14]) qui veterum simplicitatem et illud Atticorum qui dicuntur oratorum robur imitari voluerunt neque praestare potuerunt, in nimiam inciderunt subtilitatem, ita ut hac concinnitatis affectatione aridi magis atque ieiuni quam subtiles et concinni viderentur. Genus Rhodium medium quendam locum inter Asianos et Atticos obtinere studebat. Hic eloquentiae status idem mansisse videtur saeculo secundo et primo ante Christum natum.

Interea saeculo illo inde a Samnitium bello flagrante ad Punicum compositum tota Italia sub Romanorum potestatem redacta cum plurimarum gentium contactu veteres Romanorum mores infringi et labefactari coepti essent, Romani maturi atque digni facti sunt, qui Graecorum tamquam ex asse heredes existerent; nec tamen subito litterae Graecae Romam tamquam inundarunt. Perlata est[15]) quaedam litterarum Graecarum notitia Romam, ut cultior humanitas incrementa caperet, sed primo eloquendi ars paene rudis mansit; tanta erat Romanorum in institutis suis tenendis tenacitas, ut ad Sullae usque aetatem ne senatores quidem omnes Graece scirent et, cum legationes Graecae veluti in causa Oropica Carneades C. Acilio[16]) interprete uterentur necesse esset, Molo Rhodius[17]) primus sine interprete in senatu audiretur. Primi, nisi fallimur, Graecorum artes Romam transtulerunt Alcaeus et Philiscus, qui, cum multarum flagitiosarumque libidinum auctores esse viderentur, L. Postumio Albino M. Popilio Laenate consulibus anno u. c. 580 senatus consulto e civitate eiecti sunt[18]). Paucis annis post Crates Mallotes[19]), qui, cum Attali legatus in urbem venisset, crure fracto Romae diutius commorari coactus est, scholas de litteris Graecis instituit anno u. c. 586. Anno u. c. 593 iam magnam philosophorum rhetorumque manum Romae fuisse inde concludi potest, quod eiusdem anni praetor M. Pomponius C. Fannio Strabone M. Valerio consulibus ex senatus consulto Graeculos expulit[20]). Haud ita multo post tanta incessit mutatio, ut, cum philosophi Carneades Critolaus Diogenes legati ab

8) Blass. Gesch. d. Gr. Beredsamkeit v. Alex. bis auf August p. 78.
9) Cic. Brutus XIII. 51.
10) Droysen Gesch. des Hellenism. vol. I.
11) Quintil. inst. XII. 10, 16 seqq.
12) Cic. Brut. p. 325. Orat. VIII. 25.
13) Quintil. inst. II. 11. 1.
14) Cic. Brut. p. 325. Orat. 23.
15) Ellendt l. l. p. 12.
16) Gellius noctes Atticae VI. 14. 9.
17) Ellendt p. 14.
18) Athenaeus XII. p. 547. Schweighaeuser animadversiones vol. VI. Aelian IX. c. 12.
19) Sueton ed. Reiff. p. 100.
20) Gellius ed. Hertz XV, 11, 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atheniensibus de rebus maximis ad senatum missi a. u. 598 antea ipsi seorsum quisque ostentandi gratia magno hominum concentu disseruissent, inprimis Carneadis copiosissimae et acutissimae disputationes plurimos et cupidissimos auditores invenirent[21]), neque ipsius Catonis[22]) censorii auctoritas quidquam valeret ad philosophos illos coercendos. Cato ipse, severissimus peregrini moris insectator, in senectute Graecas litteras didicit[23]). Ita qui primo totius rationis ignari neque exercitationis ullam viam neque ullum artis praeceptum esse arbitrarentur, cum per Graecos esse viam edocti essent, mox libentissime rhetores recepere. Tres fuere viae, quibus eloquentia Graeca ad Romanos veniebat[24]). Primum, uti iam memoratum est, Graecorum sive philosophorum sive rhetorum magna manus Romae versabatur, qui in dies maiorem apud Romanos auctoritatem nanciscebantur. Veluti C. Gracchum e doctrina Diophanis Mitylenaei et Menelai Maratheni plurimum profecisse credi par est[25]), a quo didicisse Fannius consul in nobili oratione de sociis et nomine Latino ei tamquam crimen obiecit[26]; ipsam Corneliam, Gracchorum matrem, Graecorum doctorum consuetudine creberrima familiarissimaque usum esse memoriae proditum est. Deinde etiam magis ad eloquentiam Romanorum informandam valuere scripta Graecorum, quibus uti minus dubitabat Romanorum superbia et arrogantia[27]). Denique ipsi Romani, ut studiis navarent, in Graeciam se contulerunt. Haec tamen quamvis polita doctrina transmarina atque adventicia, quam solam Catoni defuisse Cicero dicit[28]), oratorem Romanum vix informasset, nisi reipublicae condicio huic studio ardentissimas faces admovisset, nisi maxima praemia vel ad gratiam vel ad opes vel ad dignitatem exposita essent, cum omnino, quicunque in republica auctoritate quadam esse volebat, eloquentia sibi opus esse intellegeret. Ita summum eloquendi studium Romae excitatum est, et ubicunque occasio eloquentiae augendae offerebatur, quacunque ex re proficere sibi videbantur, in ea, cum rectius illius temporis eloquentia, quam nostri scientia, potentia dici possit, maximam collocarunt diligentiam summamque dederunt operam. „Longe certe pluribus“, ut recte monuit Ellendt[29]), „modis eloquentia aucta est more civitatis mutato et discordiis civilibus et factionibus optimatium et popularium inter se de summa republica decernentium quam doctrina nova et adventicia aut exemplis Graecis imitandis;“ quam quidem rem Ellendt dialogi de oratoribus optimam explicationem secutus etsi optime exposuit, tamen non minus effugit errorem, in quem incidit illius dialogi auctor, qui disputatione sua Ciceronem quam maxime perstringit; etenim Cicero in Bruto[30]), quo nisi fallimur loco et auctor ille et Ellendt nituntur rectissime: „nec in constituentibus rem publicam nec „in bella gerentibus, nec in impeditis ac regum dominatione devinctis nasci cupiditatem „dicendi solere; pacis esse comitem atque sociam et iam bene constitutae civitatis quasi „alumnam quandam eloquentiam;“ e propositione minime falsa optime conclusit Cicero eloquentiam non esse nisi in civitatibus bene constitutis, non conclusit, quod et auctor

21) Cic. de orat. II. 37, 155. Gell. VI. 14, 9. Plut. Cato p. 349. 350. 351.
22) Plut. Cato 22.
23) Cic. Acad. II. 2,5.
24) de oratore I. 14.
25) Blass. l. l. Ellendt. l. l. p. 15.
26) Brutus 26,100. 27, 104.
27) Blass l. l. p. 106.
28) Cic. de or. III. 33, 135.
29) Ellendt l. l. p. 15.
30) Brutus XII. 45.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ille et Ellendt concludi voluerunt, in omnibus bene constitutis esse necesse esse; unde minime mirum Spartiatas civitate optime constituta usos eloquentia non floruisse, nam praeter has condiciones a Cicerone laudatas eloquentiae opus est etiam illis a dialogi auctore elegantissime expositis; sed tamquam ipse Ellendt hunc conclusionis errorem animadverterit, deinde plane alias voces aliud spectantes (Ciceroni) supponit, veluti pro „bene constitutae" bene moratae, pro „otii" vocabulo quieti et tranquilli vocabulis utitur; itaque Ellendt se quasi ipse correcturus ex „falsa conclusione," ut philosophorum terminis utamur, incidit in „fallacias secundum dictionem."

In Graecia horum saeculorum quae fuisset eloquentiae condicio, supra breviter explicare studuimus; tria dicendi genera Asianorum Atticorum Rhodiorum invenimus. Ex his imprimis Asiani summa apud Romanos auctoritate initio fuisse videntur, si quidem Hortensius in Asianorum numero recte habetur; mox vero Romanorum integritas hoc tumidum Cariae Phrygiaeque genus dicendi repudiavit; etsi Cicero non plane Asianum genus deposuit, exstitere tamen sub finem reipublicae multi, qui Atticos imitantes Asianos longe propulsarent; eo ipso autem tempore summo omnium rerum discrimine facto etiam eloquentiae condicio plane immutata est. Oratio, qualis ante Demostbenis, ante Ciceronis oculos versabatur, nisi in libera republica, nisi in liberis contentionibus et factionibus quassatis civitatibus laetius efflorescere non potest. Excepto igitur, quod omnes res ad summum fastigium evectae citius, quam ascenderunt, dilabuntur, ipso rei publicae statu converso libere dicendi agendique nullus iam locus erat. Sicuti Graeca eloquentia libertate deperdita, cum mollia et languida ingenia cantandi saltandique arti omnibusque luxuriae generibus potius quam artibus liberalibus vacarent[31]), obmutuit, ita etiam Romae Caesare novam aetatem inaugurante oratori, qualem Cicero descripsit, nullus iam erat campus. „In libera republica ars dicendi iter ad maximos honores aperuerat, Caesarum aetatibus poterat quidem blanda et summissa vox, quae ad aures Caesaris arrepere callide didicerat, nec vero pristina vis et gravitas eloquentiae viam ad magistratus et amplissimas potestates munire"[32]; nec tamen homines a loquendo desuefieri poterant, nondum vocem amiserant; neque hac omnium rerum conversione eloquentiae praestandae omnis occasio et locus abrepta sunt; itaque tantum aberat, ut eloquentia obmutesceret, ut alio loco aliisque condicionibus laetius efflorescceret; resonabat forum causidicorum litigantium altercationibus; neque defuit materia si non gravis et magnifica, tamen ampla; praesertim in caussis centumviralibus tunc frequentissimis, in quibus usucapionum tutelarum gentilitatum agnationum alluvionum nexorum mancipiorum ceterarumque rerum paene innumerabilium iura versabantur[33]).

In hoc ipsum omnium rerum discrimen eloquentiaeque maximam mutationem incidit Senecae Annaei rhetoris vita, eiusdemque aetatis, qua cum plurimae gentes tum Graeci et Romani artiore consuetudinis vinculo coniunguntur atque tamquam in unius corporis formam coalescunt, sunt rhetores Graeci a Seneca adhibiti.

Quorum vitas cum, quatenus id fieri poterit, adumbrare in animum induxerimus, quaeritur primum, cum tantum absit, ut de quo loquamur desit, ut et personarum et rerum silva exstet maxima, quemadmodum uberrimam hanc materiam disponamus.

---

31) Droysen Gesch. des Hell. Senec. controv. I. Praef. 6. sqq. Kiessl. p. 59 et, 60.
32) Bonnel de mutata eloquentia p. 3.
33) Cic. de or. I. 38, 173. Plin. Ep. II. 14. Bonnel. l. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bifariam dividere licere putaveris ex ipso Annaeo, quippe qui locis multis[34]) verbisque disertis antiquos rhetores a novis disiunxerit. Haec tamen distinctio, quam ad rhetores Romanos magis quam Graecos pertinere puto, vereor ne parum nos iuvet. Lindner[35]) in dissertatione sua novos ab Annaeo putat nominari eos rhetores, qui Graecos secuti sint in dicendo, et imprimis, qui generi Asiano se addixerint; hanc definitionem aliqua ex parte non falsam esse etsi libenter concesserim, vereor tamen ne plures complexus sit hac voce „novorum rhetorum" quam Annaeus contineri voluit; nam omnes, quos Annaeus novos dicit, generi Asiano se addixisse facile concessum sit; omnes autem, qui genus Asianum secuti sunt, novos esse minime datum sit; sequeretur enim ex hac definitione Arellium Fuscum, Cestium Pium aliosque multos esse novos, id quod minime esset ex Annaei sententia. Locus,[36]) quo Lindner[37]) niti videtur, est hic: „Divisio con„troversiarum antiqua simplex fuit; recens utrum subtilior, an tantum operosior ipsi „aestimabitis: ego exponam quae aut veteres invenerunt aut sequentes adstruxerunt. „Latro illas quaestiones fecit: divisit in ius et aequitatem . . . Novi declamatores Graecis „auctoribus adiecerunt primam illam quaestionem: an adoptari possit; hac Cestius usus „est." Lindner ex „Graecis auctoribus" priorem, ex „operosior divisio" alteram definitionis suae partem effecisse videtur eodemque videlicet e loco Cestium Pium[38]) in novis haberi conclusit. Me quidem iudice ex hoc loco nihil aliud effici potest, nisi veteres esse, cum qui Annaei ipsius tum qui Ciceronis aequales fuerint, novos autem eos, qui posteriore tempore ad eloquendi studium se applicaverint, imprimis autem eos, quos, cum iterum ex Hispania Romam venisset[39]), minores natu sibique ignotos in scholis offenderit; neque alius ullus exstat locus, ex quo effici possit Senecam non tam ex genere dicendi quam rhetorum aetate hanc significationem sumpsisse. Cestius Pius est ipse Graecus, quem novi imitabantur; Arellius Fuscus, etsi divisione usus est quam maxime operosa, etsi magis quam alius quisquam mores Graecos in declamationem intulit, nusquam novus appellatur neque credibile est hunc rhetorem, utpote quem in tetradeo a Seneca positum maximi aestimatum esse constet, in novis, quorum nusquam fere nisi contemptim mentio fit, habitum esse ab Annaeo, temporis acti laudatore summo. Inditur a Seneca „novi rhetores" cognomen iis tantum, quos veluti Aeschinem[40]), Pammenem[41]) rarissime tamquam sibi minus notos adhibet vel tamquam obscuros oblique perstringit; actum igitur est de hac Lindneri definitione et divisione. Quid vero Otto Gruppe[42]) verbis suis „qui (novi declamatores) quales putandi sint, apparet ex „controversia XIII.[43]), ubi novi declamatores post Moscum Apollodoreum dicuntur" sibi voluerit, plane me fugit. Nam sicuti mea quidem fert sententia, ex illo[43]) controversiae

34) Seneca contr. I. 4, 6. p. 103. 11. Kiessl. I., 4, 7. I. 8, 11. p. 136, 2. I. 8, 16. p. 138, 8. VII. 1, 20. p. 308, 12. I., 1, 13. p. 74, 4. II. 5, 13. p. 210, 4.

35) Lindner de Cestio Pio p. 7.

36) controv I. 1, 13. p. 74, 4.

37) Lindner de Cestio Pio p. 7: „Novi autem declamatores sunt, cum qui Graecos sequebantur in dicendo, tum maxime qui Asiano generi se addixerunt."

38) Lindn. de Cestio p. 15: „Multum etiam videtur in Graecorum scripta incubuisse, utpote qui in novis numeretur declamatoribus, qui graecos sequebantur auctores."

39) contr. IV. praef. 3. Teuffel, Gesch. der röm. Litteratur 1870 p. 521. 253, 2.

40) contr. I. 8, 11. pag. 136. 2.

41) contr. I, 4, 7. p. 103.

42) Otto Gruppe. Quaestiones Annaeanae p. 46. adnot. 142.

43) controv. II. 5, 13. Kiessl. p. 210, 4.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loco „novi declamatores post Moschum Apollodoreum et hanc fecerunt quaestionem“ nihil aliud sequitur, nisi novos rhetores usos esse quaestione ea, quam primus fecerit Moschus; inde quid ad „novi“ vocem definiendam colligi possit, non apparet; ut vero concedatur, id quod minime concesserim, illud „post Moschum“ referri posse ad „novi declamatores“, inde iterum nihil aliud sequi puto, nisi novos fuisse rhetores etiam ante Moschum; quid autem hoc afferat ad „novi declamatores“ definitionem non video. In nostra igitur sententia perseverantes Senecam hoc novorum et veterum discrimine nihil aliud nisi intercapedinem temporis, qua Cordubae fuerit, indicare voluisse, libentissime tamen concedimus Lindnero fuisse etiam eloquendi rationis discrimen; neque si ad rhetores Romanos spectamus, est cur ab eo discedamus; in antiquorum numero habendi sunt Asinius Pollio, Scaurus, Labienus, omnes qui veterum temporum ac morum amorem vincere non potuerunt, in novorum numero ii, qui libertatis amissae dolore minus affecti neque novam civitatis condicionem repudiarunt neque ad Graecorum similitudinem se accommodare dubitarunt; quorum quasi dux Cassius Severus, utpote qui primus ab illa vetere atque directa dicendi via flexisset, fuisse videtur. Contra Graecorum plane contraria condicio est; veteres illi, Arellius, Cestius, alii, etsi Graecum suum morem in declamationibus exuere non potuerunt, cum ipsi non satis ad Romanos ingenio suo imbuendos valerent, Romano mori se accommodare studebant, vel adeo, ut veluti Cestius et Argentarius sua ipsorum lingua uti dedignarentur; at sui moris Graeci tenaciores et in suo dicendi genere magis perseverantes quasi inaugurati esse videntur posteriorem sophistarum, qui appellantur, dicendi rationem. Esse igitur veterum et novorum discrimen non negamus; ut accuratius describatur, fieri posse vix sperare audemus, cum a Seneca hac in re plane destituti simus; qua de re non est cur quis miretur. Annaeus enim id tantum egit, ut filiis de iis rhetoribus, qui (temporum iniuria) notitiae eorum subducti essent, iudicandi potestatem faceret[44]). Liceat igitur de omnibus rhetoribus ab Annaeo adhibitis, tamquam unius fuerint aetatis, disputare. Quid vero? Nonne praeterea rhetorum, quorum permagnum numerum praebet Annaeus, discrimen intercedere persuasum habueris? Sane, est etiam alterum discrimen ab ipso Seneca indicatum; compluribus[45]) ipse locis Asianos secernit ab Atticis; qui quibus in rebus diversi fuerint, non tam ab Annaeo quam per alios antiquitatis scriptores[46]) docemur; qua ex re quominus id utilitatis capiamus, quod ad rhetores accuratius describendos necesse esse putamus, ea res impedit, quod pauci sunt, de quibus certum aliquod iudicium facere liceat; optandum autem ne nimis in coniecturis versemur; altera spe ita iterum deiecti quid „rhetoris“ vox significet, discutiendum putamus.

„Rhetoris“ vox apud Romanos usque ad imperatorum aetatem non adhibetur nisi de eloquentiae magistris[47]), uti in Cicerone[48]) legimus „rhetores qui dicendi praecepta traderent“; etiam a dialogi auctore[49]) rhetores oratoribus opponuntur. Tamen, quamquam etiam Annaeo[50]) hanc vocum differentiam notam fuisse constat, cum aetate imperatorum

---

44) controv. praef I. 1.
45) controv. IX., 1, 12. X., 5, 21. Suas. I. 7.
46) Cic. Brut. Quinctil. Dionys-Hal. cf. Blass l. l.
47) Cic. de orat. I. 18, 84.
48) Cic. de or. l. l.
49) dial. de or. XIV. cf. XXXV.
50) contr. VII. 1, 20. p. 308, 12.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rhetoris et oratoris nominibus promiscue uti in consuetudinem abiret, neque ipse Seneca sibi constaret, illa differentia praetermissa, libentissime hoc nomine oratores comprehenderemus, dummodo essent, qui non solum scholae sed etiam foro se praepararent inter Graecos. Hybream[51]) quidem in Asia coram M. Cicerone filio orantem patris sui totum locum in quadam postulatione ad litteram omnibus agnoscentibus dixisse memoriae proditum est, unde Hybream causidicum fuisse conici potest; multosque alios rhetorum Graecorum caussis non abstinuisse verisimillimum est; sed cum nihil certi allatum sit, etiamsi hac voce rhetoris oratorem complecteremur, nihil iuvaremur. Itaque ex „forensi luce intra scholarum parietes" retrusi ceteras voces, quibus omnes ii, qui aliquo modo operam navabant eloquentiae, exornati sunt, perscrutemur. Altera distinctio[52]) est, qua rhetores et doctores, qui praecipiant artem, opponuntur declamatoribus et professoribus, qui oratoribus se similes ostendant. Annaeum hanc notionum discrepantiam non curasse uberius demonstravit Lindner[53]; nihil ergo obstaret, quominus etiam declamatores doctoresque opusculo nostro complectentes rhetores in has classes distribueremus; sed hac aetate iam omnia ita conexa et indiscreta sunt, ut ad certam aliquam accuratamque distributionem etiam hoc modo vix pervenias.

Aliam igitur viam ingredientibus nobis liceat ita disponere materiam, ut in altera parte ponamus eos, qui imprimis subtilibus artis rhetoricae quaestionibus operam dederunt, qui ante omnia id egerunt, ut dicendi praecepta in artis quandam formam redigerent; atque horum rursus Theodoreos et Apollodoreos disiungere placet; in altera autem parte de iis dicendum erit, qui, quamquam non omnino arte supersederunt neque in sola declamatione acquieverunt, tamen maximam vim studiumque declamationi tribuerunt; inque his ipsis rursus Atticos ab Asianis separatos esse volumus.

Erit igitur res nobis cum hominibus a caussis forensibus remotis, cum scholasticis, quorum alteri ex clarissimis illius aetatis rhetorum officinis ad artes perscribendas se applicarunt, alteri, caldi[54]) aut frigidi, sicuti sive ipsa ingenii natura, sive voluntas ferebat, non tam „de arte loqui" quam „ex arte" declamare sibi proposuerunt.

Romae non minus quam in Graecia, simulatque quanta vi esset ad summos honores obtinendos, quantum valeret ad hominum animos regendos eloquentia perspectum est, omnes, quos non ingenium vel cupiditas regnandi defecit, summopere ut eloquendi facultatem consequerentur enixi sunt.

In Graecia cum adolevisset, vel cum iam sola natura et ingenio in summo flore esset eloquentia, exstitere homines, qui comprehensis praeceptis regulas dicendi in artem redigere studuerunt[55]); quae rerum natura est, subsecuta est ratio

---

51) Suas. VII., 14. Kiessl. p. 56. 5.

52) Quinct. X. 1. 15.

53) contr. I. 3. 10. VII. 23. 10. cf. Lindner de Latr. p. 11.

54) Suasor. III 6. p. 26, Nicetes suo impetu valde Graecis placuerat; quaerebat a Gallione Messala, quid illi visus esset Nicetes? Gallio ait: „plena deo". Quotiens audierat aliquem ex his declamatoribus, quos scholastici caldos vocant, statim dicebat „plena deo". — ad hunc locum cf. Buschmann Progr. Parchim 1878. p. 7.

55) Quinctilian III. 1, 8.

Spengel „Ueber das Studium der Rhetorik" p. 5: In diesem Zustande, wo Strenge des Gesetzes bei vollkommener Gleichheit keine Anwendung finden konnte, gab es nur ein Mittel das Uebergewicht zu erlangen, die Macht der Rede . . . dies führte von selbst dahin, die natürliche Gabe durch Kunst zu heben und alles aufzufinden, wodurch man das Wohlwollen und die Zustimmung der Zuhörer zu gewinnen glaubte. u. s. w.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

usum[56]); inde a Corace et Tisia multi de eloquentia sunt editi libri. Quin ars rhetorica esset atque doceri posset, iam nemo dubitavit; mox vero doctissimorum virorum acerrima pugna de definitione et divisione huius artis accensa est. Tres in Graecia fuisse sectas, quae summa essent auctoritate: Isocrateos, Aristotelicos, Hermagoraeos iam supra diximus[57]). Quos omnes, quippe qui doctrinae operam dedissent, philosophorum nomine comprehendit Dionysius Halicarnasseus[58]) et tamquam Atticos opponit Asianis.

Omnium horum artes et praecepta, ad quae eloquentia revocata erat, saeculo secundo Romani vel receperunt vel repudiaverunt. Hermagorae ars sub finem saeculi secundi vel initio primi maxime accepta esse videtur, id quod ex libris ad Herennium et e Ciceronis de inventione libris colligere licet. Placet quidem his viris[59]) summa cum contemptione et derisu quodam invehi in eiusmodi subtilissimos Graeculos, nec tamen eos totos ab Hermagora pendere negari potest; etsi multa tamquam inutilia et inepta omisere, plurima tamen receperunt. Dolendum fortasse, quod cultus domestici apud Romanos flos, cum nondum enatus sit, interventu Graecorum exstinctus nunquam ad maturitatem pervenerit, sed responderi potest: numquam fortasse futurum fuisse, ut Romani ad eum florem, quem per Graecos obtinuerunt, pervenirent, nisi per illos adiuti aucti elevati essent; sed eiusmodi coniecturae nihil ad rem pertinent; certe non sunt huius institutae scriptionis ac temporis; id tantum dicatur minime decere Romanos et, ut unum pro multis afferamus, Tullium eiusmodi vellicare[60]) Graeculos, utpote quibus

---

[56]) Quinctil. III. 2, 3. Initium ergo dicendi dedit natura, initium artis observatio. Homines enim, sicut in medicina, cum viderent alia salubria, alia insalubria, ex observatione eorum effecerunt artem: ita cum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum vitandumque et quaedam secundum rationem eorum adiecerunt ipsi quoque; haec confirmata sunt usu: tum quae sciebat quisque docuit.

[57]) cf. p. 2. adnot. 8. Blass lib. I. p. 78.

[58]) Dionys. Halic. *περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων ὑπομνηματισμοί* c. 1. seqq. Apud Dionysium philosophi notio latissime patet; contra philosophos enim ipsos a rhetoribus maxime pugnatum est.

[59]) Auctor ad Herennium lib. I. 1.

De aetate Hermagorae infra uberius disputabitur.

[60]) Quam non intellexerit Cicero, quid Hermagoras diceret, testimonio sit inventionum IX. 12: „Hermagoras oratoris materiam diviserat in quaestionem et caussam; huic generi Hermagoras partes „quattuor supposuit, deliberativam, demonstrativam, iuridicialem, negotialem: quod eius ut nos puta„mus non mediocre peccatum reprehendendum videtur . . . si deliberatio et demonstratio genera sunt „caussarum, non possunt recte partes alicuius generis caussae putari; eadem enim res alii genus alii „pars esse potest; eidem genus et pars esse non potest". Qua in re non Hermagoram, sed Ciceronem peccasse iam perspexit Quinctilianus III. 5, 15. „Sed me liberavit respondendi verecundia et quod „ipse hos inventionum libros improbat et quod in oratore atque iis quos de oratore scripsit libris et „topicis praecipit . . ." in his autem, quos de oratore scripsit, libris in novum incidisse errorem Ciceronem testis est Volkmann Rhetorik. p. 27: dort begeht er einen neuen Fehler dadurch, dass er die status „vom genus legale unter den Qualitätsstatus befasst, und dass er überhaupt nie zu einer richtigen Ein„sicht über die status gekommen ist, geht daraus hervor. etc" Ciceronem sibi ipsum in Hermagora obiurgando adversari infra docebitur.

Spengel „Über das Studium der Rhetorik" p. 10. „Diese Technik hat ihm (dem Cicero) die „Gewandtheit und Klarheit, die wir in allen seinen Reden bewundern, gesichert. Später, als er die „Bücher vom Redner schrieb, zu einer Zeit, wo er philosophischen Studien ganz ergeben war, glaubte „er, dieser philosophischen Bildung sich bewusst, auch seiner Kunst eine festere Grundlage und sichere „Prinzipien leihen zu können; daher die Erscheinung, dass er die praktische Technik, die Methode, die „ihn selbst gross gezogen hat, in diesen Werken wegwerfend und verächtlich behandelt und, wie „vielen zu begegnen pflegt, eine philosophische Behandlung der Rhetorik einzuführen glaubt, während „er sich unfähig zeigt, Besseres und Gediegeneres an deren Stelle zu setzen, und selbst die Hauptlehren „der aristotelischen Rhetorik, die er sich doch als Muster vorhält, selten ihre geeignete und ausgedehnte „Anwendung finden."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

plurima debeant; concedendum Hermagorae artem ieiunam et aridam fuisse; nec tamen obliviscendum Romanos Ciceronis temporibus, cum eloquentia maxime floreret, in medio fuisse dicendi usu, cum Graecorum libertas libereque dicendi locus in omne aevum amissa essent. Concedendum sane praeceptorum ab Hermagora subtilius collectorum nimis longam seriem esse neque eius subductionibus ad oratorem instituendum opus esse; concedatur quoque in oratore et in illis de oratore libris elegantius a Cicerone hanc rem tractatam esse; quid vero? Num Cicero, nisi libris ab Aristotele Anaximene Hermagora conscriptis uti licuisset, unquam eo venisset, ut suos de oratore libros ederet? vel adeo ex eius libris oratorem institui posse putaveris? Nunquam oratorem existere posse nisi legendo audiendo, usu exercitationeque auctum, ipse Cicero concedit; sed etiam Hermagoram sine usu et exercitatione oratorem quemquam fieri posse contendisse vix credideris; Hermagoras ipse fortasse, sicuti Cicero in Bruto affirmat, remotissimus fuit a bene dicendo; id tamen multis accidit, ut quam artem docent, ipsi praestare non possint. Quod vero ad nimias Hermagorae subtilitates pertinet, saepissime ex communi hominum opinione inutile videtur, tamquam de certis et claris rebus agatur, quod ei, qui totum se abdidit in litteras, utilissimum videtur, tamquam agatur de rebus nimis incertis reconditis abstrusis.

Et si ad nudam utilitatem, quae inde ad vitam capitur, spectaveris, Cicero minime, ut Tivier[61]) putat, est eorum, qui ea tantum magni aestiment, quae ad utilitatem aliquam referri possint; etsi tempora sua spectans rectissime nonnullis[62]) locis ea, quae maximam utilitatem in se contineant, plurimum vel dignitatis, vel etiam venustatis in se habere dicat, tamen aliis locis[63]) earum quoque artium, in quibus non utilitas quaeratur necessaria, sed animi libera quaedam oblectatio, si non acerrimum defensorem, tamen amatorem se ostendit. Utut autem haec sunt, Tullius, qui se totum philosophis tradiderat, eorumque elegantibus disputationibus captus erat, multum mihi ad Hermagorae auctoritatem levandam valuisse videtur. Nec tamen Graeci ab Hermagorae argutiis abhorrebant; immo eas augebant. Inter technicos qui dicuntur, sive artium scriptores sub finem reipublicae vel clarissimi fuerunt Apollodorus et Theodorus[64]), qui cum per longum temporis spatium simul cum Annaeo Romae vitam degerint, maxime mirum est, cur nullae eorum sententiae a Seneca proferantur. Natus est Apollodorus, cum Hieronymus[65]) eum anno u. c. 690. floruisse dicat, circa annum u. c. 650; Lucianus[66]) hunc rhetorem per annos 82 vixisse memoriae prodit; inde dubitare non licet, quin vitam usque ad annum u. c 732 perduxerit. Ex omnium fere doctissimorum virorum[67]) opinione anno u. c. fere 711. Annaeus studiorum causa ex Hispania Romam migravit; per viginti igitur fere annorum spatium una Romae versabantur Annaeus et Apollodorus. Suspicari autem

---

61) Tivier de arte declamandi Paris 1868 p. 5.

62) de oratore III. 45. 178.

63) de orat. I. 26. 118.

64) Quinctil. III. 1. 17: „Praecipue tamen in se converterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui „praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit: et Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rho„dium, quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Caesar.“ Quinct. II. 11. 2: Alius percontanti Theodoreus an Apollodoreus esset? Ego, inquit, parmularius sum.

65) Hieronym. ad. a. Abr. 1953 Apollodorus Pergamenus Graecus orator praeceptor Calidii et Augusti clarus habetur.

66) Lucian Macrob. 23. *Ἀπολλόδωρος ἔζησε ἔτη ὀγδοήκοντα δύο.* de Apollodoro cf: Blass. l. l. p. 155. Piderit de Apollodoro.

67) Körber. Über d. Rhetor Seneca p. 5. Lindner de Latrone. — Bursian in fronte editionis suae Teuffel 253, 2. — Gruppe p. 25.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

licet Apollodorum, quem iam grandem natu ab urbe Apolloniam secum eduxerat Augustus[68]), propter provectiorem suam aetatem, ubi Romam revertit, non iam declamasse. Fortasse etiam dubitaverit quispiam, num omnino Apollodorus Romam reverterit; ei tamen dubitationi adversatur, quod Strabo[69]) eum in magno apud Caesarem honore fuisse dicit; praeterea nescio an non procul a vero abfueris, si ex hoc Senecae loco[70]) „Turrinus dum Apollodorum sequitur" ubi non video, cur Kiessling Antwerpiensis et Bruxellensis codicum lectionem a Bursiano[70]) receptam reliquerit, Turrinum Senecae fere aequalem Apollodorum audisse collegeris.

Etiam magis in Senecae aetatem incidit Theodorus, qui acerrimus fuit Apollodori adversarius; etsi nemo scriptorum antiquorum Theodori Gadarensis mentionem facit, ut exinde tempus, quo ille vixerit, certis quibusdam finibus circumscribi possit, tamen aliqua ex parte eius aetatem computare licet. Quin Gadaris, in Syriae urbe, natus sit, cum omnes fere inter se consentiant hac de re veteres scriptores, dubitare non possumus; num servili genere ortus sit, id quod Suidas[71]) solus narrat, dubium est. Maioris momenti est, quod idem Suidas[71]) Theodorum Tiberii Caesaris magistrum fuisse exhibet; nec non dissentiunt Strabo[72]), Suetonius[73]), Seneca[74]), Quinctilianus[75]). Ea autem in re inter se differunt Suetonius et Quinctilianus, quod ille Tiberium iam puerum a Theodoro instructum esse exhibet, hic nihil aliud nisi Tiberium, cum Rhodum secessisset, Theodorum diligenter audisse refert. Quaeritur utrum utrique an alteri fides habenda sit; Piderit[76]) amborum sententias complexus ex Suetonio annum natalem ita fere computari posse putavit, ut Theodorum, cum magister Tiberii pueri anno u. c. 730 iam virilem aetatem attigisset, anno u. c. fere 700 natum esse diceret. Ita Theodorus Apollodoro multo minor natu aequalis fere Annaei sit. Hanc computationem a vero non procul abesse non nego; contra Suetonio in eo, quod Theodorus Tiberii pueri praeceptor fuerit, fidem habendam esse negaverim, in Quinctiliani eiusque solius partes accedere maluerim. Qua in re etsi verendum est, ne Blassii doctissimi viri auctoritate comprimar, tamen partes meas tueri ausus sim. Blass[77]) de Suetonii sententia minime dubitans e posteriorum coniectura factum esse arbitratur, ut Tiberius Rhodi Theodorum audisse diceretur; cum autem Tiberium Rhodium secessisse inter omnes constet, quid mirum, quod ibi nulla alia re occupatus Theodori scholis vacaverit eiusdemque sermonibus se dederit! nonne veri simillimum potius est Tiberium, ut tempus

---

68) Sueton August 89.

69) Strabo XIII. p. 625: *Μάλιστα δὲ ἐξῆρε τὸν Απολλόδωρον ἡ τοῦ Καίσαρος φιλία τοῦ Σεβαστοῦ, διδάσκαλον τῶν λόγων γενόμενον.*

70) contr. X. pr. 15. p. 466, 15 Kiessling: Turrinus, dum Apollodoreos sequitur ac summam dicendi legem sectam putat, multum viribus dempserat.

Senec. ed. Burs. p. 296, 16. Turrinus pater dum Apollodorum sequitur.

71) Suidas. s. v.: *Θεόδωρος Γαδαρεὺς σοφιστής, ἀπὸ δούλων διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος.*

72) Strabo. XVI. 759. *ἐκ δὲ Γαδάρων ἦν Θεόδωρος ὁ καθ' ἡμᾶς ῥήτωρ.*

73) Sueton Tib. c. 57: Saeva ac lenta natura ne in puero quidem latuit: quam Theodorus Gadareus rhetoricae praeceptor et perspexisse primus sagaciter et assimilasse aptissime visus est, subinde in obiurgando appellans eum *πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.*

74) Seneca suas III. 7. Tiberius ipse Theodoreus offendebatur Nicetio ingenio.

75) Quinct III. 1. 17: Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium, quem studiose audisse cum in eam insulam secessisset dicitur Tiberius Caesar.

76) C. W. Piderit de Apollodoro et Theodoro dissertatio Marburg 42 p. 11.

77) Fr. Blass die griech. Beredtsamkeit von Alexand. bis August. p. 158, 59.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tereret, rhetori illi operam dedisse? Contra narratiuncula illa de obiurgatione pueri mihi ex mera coniectura orte esse videtur. Augustus Apollodori doctrina imbutus est, Apollodori adversarius acerrimus putabatur Theodorus, Tiberius quam dissimilis visus est Augusto! Quid mirum igitur, quod Tiberii praeceptor Theodoreus putabutur? At, inquis, etsi illa narratiuncula de obiurgatione non vera est, tamen ex ipsa illa narratiuncula id certe colligere licet, fuisse Theodorum praeceptorem; Unde autem orta sit illa fabula ut explicetur, illam institutionem Rhodiacam sufficere puto.

De pueri enim institutione ea res dubitationem excitat, quod quantum scimus a nullo alio antiquitatis scriptore huius narratiunculae mentio fit; Ne illud quidem constat, num omnino Romae fuerit Theodorus, nisi Tiberium[78]), comitem usque quaque parentum fugae, in provincia a Theodoro instructum esse putaveris. Utut autem haec sunt, missa facio quae tamquam in transcursu leviter tantum attigi; quamobrem enim totam hanc disputationem suscepimus, ut tempus accurate constituatur, inde non contingere videtur. Tamen quin Theodori aetas magna ex parte in Annaei aetatem inciderit, cum Strabo[79]) et Hieronymus[80]) consentiant, non dubitari potest; num vero Senecae Theodori audiendi potestas facta sit, maxime dubium esse mihi videtur. Suidas[81]) quidem, dummodo recte interpretatus sit Bernhardy, Theodorum, postquam cum Potamone et Antipatro certavisset, Romae habitasse exhibet; sed Annaeum silentem, quamvis memoria maxime quassata usus sit, pluris fecerim quam Suidam, qui Theodori filium Hadriano imperatore senatorem fuisse narret, fabularum sescentarum auctorem.

Praeter hos clarissimos rhetores Annaeus silentio praeterit Dionysium Halicarnasseum et Caecilium Calactinum; utrumque Augusti temporibus Romae fuisse et Dionysium[82]) quidem inde ab anno u. c. 724 usque ad a. u. c. 746 inter omnes constat; nec tamen est, cur miremur hos viros a Seneca non adhibitos esse; verisimillimum enim est neque Dionysium neque Caecilium declamationibus vacasse[83]).

Omissi praeterea Areus[84]), Heliodorus[85]) multi alii eiusdem fere aetatis; neque in ullo deest, quo Senecae silentium explicari possit. Perdifficilis autem esset explicatio, si in eorum partes accessissemus, qui de Suetonii loco minime dubitantes Theodorum Tiberii pueri praeceptorem usque ad annum fere 724 Romae, unde hoc demum anno

---

78) Suet. Tib. c. 6: Infantiam pueritiamque habuit laboriosam et exercitam, comes usque quaque parentum fugae . . .

79) Strab. XVI. p. 1080 ed Falcon.: *Ἐκ δὲ Γαδάρων Φιλόδημος . . . καὶ Θεόδωρος, ὁ καθ' ἡμᾶς ῥήτωρ.*

80) Hieronym. ad. a. Abr. 1984. (722 u. c.): Nicetes et Hybreas et Theodorus et Plutio nobilissimi artis rhetoricae praeceptores Graeci habentur.

81) Suidas s. v.: *Θεόδωρος Γαδαρεὺς σοφιστὴς ἀπὸ δούλων διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος, ἐπεὶ δὲ συνεκρίθη περὶ σοφιστικῆς ἀγωνισάμενος Ποτάμονι καὶ Αντιπάτρῳ ἐν αὐτῇ τῇ Ρώμῃ.*

82) Blass. l. l. p. 170. Weissmann de Dionysio Halicarn. diss. Rintel 1837.

83) Blass. p. 172. „Dagegen folgt wohl unwidersprechlich aus dem Stillschweigen des Seneka, dass Dionysios nie als Deklamator öffentlich aufgetreten ist, wenigstens dass er nie als solcher geglänzt hat.“

84) Suet. Aug. 89. Augustus Apollodoro usus est, deinde etiam varia repletus eruditione per Arei philosophi filiorumque eius Dionysii et Nicanoris contubernium.

Plut. Anton. 80: *Καῖσαρ εἰσήλαυνεν εἰς τὴν πόλιν, Ἀρίῳ τῷ φιλοσόφῳ προσδιαλεγόμενος καὶ τὴν δεξιὰν ἐνδεδωκώς, ἵνα εὐθὺς ἐν ταῖς πολίταις περίβλεπτος εἴη.*

85) Horaz satyr I. 5. 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rhodum se contulisset, versatum esse persuasum habent. Seneca si anno u. c. 711 studiorum caussa Romam profectus est, fieri non potuit, quin Theodorum audiret eiusque sententias afferret. Me quidem iudice illo tempore neque Theodorus neque Annaeus Romae fuit; qui autem Suetonii narrationem veram habent, necesse est mecum consentiant Annaeum post annum u. c. 724 demum Romam migrasse. Qua in quaestione quo loco omnes[86]), quod sciamus, nituntur est hic[87]): „Omnes autem magni in eloquentia nominis excepto „Cicerone videor audisse; ne Ciceronem quidem aetas mihi eripuerat, sed bellorum „civilium furor, qui tunc orbem totum pervagabatur intra coloniam meam me continuit; „alioqui in illo atriolo . . . . potui vivam vocem audire“ quo ex loco omnes sequi putant Annaeum paullo post Ciceronis mortem Romam venisse; sicuti mea fert sententia, nihil aliud pro certo affirmari potest, nisi anno u. c. 711 Romae nondum fuisse Annaeum, sed si quis coniectura augurari vult, Annaeum non ante annum 724 colonia excessisse coniecerim; bella enim civilia, quae eum impediebant, quominus Ciceronem audiret, et intra coloniam continebant, ante annum 724 non desiere[87]).

At alia afferuntur argumenta, quae nescio an non plus valeant ad sententiam nostram infringendam. Seneca[88]) filius matrem de exsilio suo consolaturus in numero eorum qui patria careant multos cum aliis caussis tam studiorum liberalium cupiditate Romam adductos refert; cum igitur Cordubae rhetorum audiendorum minus potestas facta fuerit, apparere dicit Körber[89]), Annaeum puerum statim post Ciceronem mortuum Romam se contulisse; ille autem locus Senecae philosophi me quidem iudice spectat ad adulescentes vel iuvenes potius quam ad pueros; deinde quin illis iam temporibus grammatici et rhetores Cordubae fuerint minime dubitari potest[90]).

Illa autem re, quod Latro[91]), quocum Annaeus noster a prima pueritia usque ad ultimum eius diem summa familiaritate coniunctus fuit, admodum iuvenis apud Marullum rhetorem primam suam controversiam declamaverit, coniecturam nostram non magis refelli posse putamus. Quid enim obstat, quominus sicuti Turrinum Latronem Annaeum, ipsum Marullum rhetorem Hispanum fuisse Cordubaeque scholam aperuisse statuamus!

Sane „Marullus“ cognomen est multarum gentium Romanarum[92]); sed etiam Cordubae et in confinibus Hispaniae urbibus multos exstitisse Marullos lapides inscripti[93]) demonstrant. Nihil ergo est, cur Annaeum non ante Augusti principatus initium, quo

---

86) Körber l. l. p. 5. cf. adnat. 65.

87) contr. pr. I. 11. p. 61. Kiessl. Non adversantur computationi nostrae, quae disputavit Brzoska: Cassius Severus quando suum de declamationibus iudicium a Seneca rhetore traditum fecerit. Commentationes Philologae in honorem A. Reifferscheidii Breslau 1884. p. 44. seqq.

88) L. Annaeus Seneca consol. ad matr. Helviam VI. 2.

89) Körber l. l. p. 5.

90) Friedländer Sittengeschichte Roms II. p. 71. (ed. III.) aliisque multis locis.

Huc etiam spectat, quod adulescentes cupidissimi fuerint sententiarum, quas in provincias mittere potuerint; id quod certe non factum esset, nisi ubique scholae fuissent, quae cupiditatem eiusmodi sententiarum excitatam tenerent.

91) controv. pr. I. 13. cf. 24. p. 62, 67.

92) L. Epidius Marullus anno 710 tribunus plebis cf. Paul. Real. Enc. II. 49. — Servius ad Virg. Aen. VII. 499. Ecl. VII 26. — Tac. Ann. XIV. 48.

93) Corp. inscript. Hispan. ed Hübner:

Nro. 1995: C. Mummius Marullus, Nr. 2144: M. Fabius M. f. Marullus, Nr. 2150: C. Pomponius Marullus, Nr. 3265: M. Cornelius Marullus, Nr. 4332: Cordubae in lapide marmorea Marullus aliquis componitur cum Androclo etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tempore maximum cum aliorum hominum tum rhetorum novorum proventum Romam convenisse constat, patriam suam reliquisse putemus; quamdiu Annaeus Romae versatus sit, etsi Koerbero libentissime concedimus Annaeum bis[94]) Romae fuisse, neque satis certum neque ad rem pertinet; id autem monere liceat Annaeum opusculo suo rationem non habere nisi eorum, qui ad annum fere 760 ab ipso auditi sint, cum ceteros filiis suis audire ipsis[95]) licuerit; Omnes igitur, quorum mentio vel accuratior descriptio ab Annaeo fit, incidunt in unius fere hominis aetatem, ab anno 724 usque ad a. 760.

Jam igitur adumbremus Apollodoreos et Theodoreos eorumque artes, quales nobis ex Seneca vel aliis, imprimis ex Quinctiliano, eruere licet.

Apollodorei afferuntur a Seneca Bruttedius Niger, Vipsanius Atticus, Moschus, Turrinus; Valgium Rufum, a Quinctiliano[96]) laudatum, ab Annaeo nostro omitti maxime miror; ipsum autem non minus quam Bruttedium et Turrinum, quos Graecos non esse primo obtuto apparet, missos facere coactus ad Moschum transeo.

Ad Senecae locum II. 5, 13 Kiessl. p. 210. codices varias exhibent lectiones; in codice A. legitur: post nos cum. B. T. V. praebent: Posmos cum; inde alii editores aliter scripsere; in editione Schottiana invenimus: „Novi declamatores Posmos cum Apollodoro, qui reus veneficii fuit et a Pollione Asinio defensus damnatus Massiliae docuit“ contra in indice editionis Parisinae exstat: „Marillus veneficii damnatus Massiliae docuit“; deinde Piderit[97]) de hoc loco disputans gravissima protulit argumenta, cur haec veneficii caussa in Apollodorum minime cadere posset. Iam aliquantulum auxilii tulit editio Bursiana, quae „post nos cum Apollodoreum“ correxit. Tandem Buechelerus[98]), vir doctissimus, in Museo Rhenano non „Posmum“ sed „post Moschum Apollodoreum“ legendum esse clarius luce effecit; ita habemus omnia expeditissima; iam non Apollodorus, sed Moschus, quem ex Porphyrione[99]) Horatii explicatore novimus, reus veneficii a Pollione frustra defensus est. Fuit Moschus Apollodoreus, qui damnatus Massiliam se contulit ibique docebat; sed iterum in summas incurrimus difficultates; Moschum Apollodori discipulum Senecae notum absque eo auditun esse ex illo controversiae XIII. II. 5, 13 loco versimillimum est; cur nullae eius afferuntur sententiae sive colores sive divisiones? Quae fuit Moschi vita? Pergamenum eum vocat Porphyrio; fuit igitur eiusdem civitatis atque Apollodorus atque inde suspicari licet Moschum iam Pergami eloquentiam didicisse ab Apollodoro. Quando autem Romam se contulit? Fortasse simul cum Apollodoro; sed omnes eiusmodi coniecturae nihil nos iuvant; magis interest scire, quo anno Moschus accusatus et damnatus sit, quo anno Asinius Pollio eius patrocinium susceperit?

Aliquantulum fortasse lucis affert versus ille Horatianus[100]): „Mitte leves spes et certamina divitiarum et Moschi caussam“. „Cuivis enim“, ut Weicherti[101]) verbis utar, „manifestum est Horatium hic loqui de caussa, quae eo ipso, quo scribebat epis-

---

94) Körber p. 6.

95) controv. pr. I. 4. Ita ex memoria, quantum vobis (filiis) satis sit, superest; neque enim de his me interrogatis, quos ipsi audistis, sed de his, qui ad vos usque non pervenerunt.

96) Quinctil. III. 5. 17.

97) Piderit, de Apollodoro et Theodoro dissertat. Marburg 1842. p. 12.

98) Rhein. Museum. N. F. XXV. p. 170. cf. Paul. Realenc. I. 2. p. 1862. sed confer ea de re Bursian Bericht über die Literatur zu Seneca rhetor für die Jahre 1873—1881. p. 142.

99) Porphyr. ad Hor. ep. I. 5. 9. „Hic (Moschus) Pergamenus fuit rhetor notissimus, cuius caussam ex primis tunc oratores egerunt Torquatus hic et Asinius Pollio“. Weichert de Cassio Parm. p. 311.

100) Horaz Ep. I. 5. 9. ed. Krüger p. 195.

101) Weichert de Cassio Parmensi p. 198. et 312.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tulam, tempore ageretur". Quo autem anno haec epistula ad Torquatum sive Manlium sive Nonium data sit, etsi viros doctos minime consentire nos non fugit, tamen nobis non dubium est, quin nobis faciendum sit cum iis, qui Weichertum secuti hanc epistulam mediis Augusti imperantis temporibus assignantur. Utcunque autem de anno statueris, ex nonae epistulae Horatianae versu quarto et nono hoc unum pro certo affirmari poterit scriptam esse hanc epistulam post annum u. c. 728 i. e. post alterum Statilii Tauri consulatum[102]). Illo tempore Annaeum nostrum iam Romae versatum esse supra[103]) monstravimus; cur igitur illo controversiae XIII. loco[104]) excepto nullam Moschi Apollodorei rationem habuit Seneca? Quae certe mira res suspicionem in me movit pro Osco, quod nomen Annaei libri saepius exhibent, ubique Moschum scribendum esse. Quod ad litteras pertinet, cum archetypi scriptorem maiusculis usum esse veri simile sit[105]), hanc coniecturam nihil praebere negotii manifestum est. M. litteram saepissime sollemni librariorum neglegentia omissam esse inter omnes constat; ipsi codices nostri similibus erroribus[106]) scatentes tristissimoque mendorum squalore obruti aliquam ansam dare mihi videntur; etsi enim plurimis locis codices inter se conspirantes „Oscus" exhibere confitendum est, tamen sicuti illo controversiae XIII.[104]) iam exposito loco omnes codices a Kiesslingio collati ad controv. VII. 3, 8 „noscum" pro „Osco" praebent. Simili modo ad Taciti annalium XIII., 37 et historiarum I., 87 locos variae „Moschi, Oschi, Inoschi" exstant lectiones, neque Halmius in indice „Oscus", in ipso libro „Moschus" scribere dubitavit. Per litteras[107]) igitur haec mutatio facillima, neque mihi verendum est, ne nimis audax videar, praesertim cum Bursianum, doctissimum illustrissimumque illum virum, a me non abhorrere videam[108]). Sed si ad rem spectamus, nescio an difficilior sit haec quaestio; si non, at certe scrupulosior est disputatio spinosiorque via, qua nunc progrediendum est.

Adductus sum, ut iam monui, ut Moschum Apollodoreum et Oscum declamatorem a Seneca saepius adhibitum unum eundemque esse suspicarer, cum quod facillime nominum Osci et Moschi similitudine librarii induci potuerunt in fraudem, tum quod Moschi Apollodorei, a Horatio laudati, in ipsam Annaei Senecae aetatem incidentis nulla fit mentio praeter locum supra memoratum, cum Moschum non abstinuisse declamatione ex eodem illo loco[109]) sequatur.

Aucta autem est suspicio nostra, primum quod Osci rhetoris quantum scimus praeter Senecam apud nullum scriptorem fit mentio; deinde quod et Moschum Apollodoreum[110]) et Oscum[111]) declamatorem Massiliae vixisse a Seneca proditum est; tum

---

102) Horaz Ep. I. 5, 9. ed. Dillenburger. — Fischer, Römische Zeittafeln Altona 1846. Vergleichende Tabelle der Consular-Fasten p. XIV.

103) cf. p. 12. 104) Seneca controv. II. 5, 13.

105) Gruppe quaestiones Annaeanae p. 24.

106) Ita Kiessling Fleckeisen Jahrbücher 103, 646., Asellium Sabinum ubique pro Asilio legendum probavit; neque mihi dubium, quin Gruppe l. l. p. 40 etiam pro „Julio" Asellium corrigendum esse recte effecerit. — omnino eiusmodi nominum menda non sunt rara. —

107) De „Moschi" aspiratione verba fieri supervacaneum esse putavi; in ipsis Horatianis scholis „Moscus" legitur.

108) Bursian Bericht über die Litteratur zu Seneca Rhetor für die Jahre 1873—1881. p. 142.

109) Seneca controv. p. 210. ed Kiessling: „Novi declamatores post Moschum Apollodoreum et hanc quaestionem in hac controversia fecerunt"...

110) Moschus Apollodoreus Massiliae docuit.

111) contr. X. praef. 10: Pacatus rhetor, cnm illi (Osco) Massiliae mane occurrisset, schemate illum salutavit: „poteram, inquit, dicere, ave Osce".

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vero quam maxime, quod ille Senecae locus a Kiesslingio[111]) hunc in modum exaratus: „Oscus non incommode dixit, sed sibi ipse nocuit; nam dum nihil non schemate dicere „cupit, oratio eius non figurata erat sed prava“ memoriam mihi attulit illius loci, quo Quinctilianus[112]) Apollodorum figuram ita, ut nihil non figuratum esset, interpretatum esse dicit. Illa Senecae verba „nihil non schemate Oscus dicere cupit“ spectare mihi visa sunt ad Moschum Apollodoreum itaque luce clarius effici inde existimavi Moschum Apollodoreum et Oscum declamatorem unum eundemque esse rhetorem; neque illud cuiquam mirum fore putabam, quod, cum Moschum Pergamenum Graeca videlicet lingua usum esse exspectaveris, Oscum Annaeus ubique latine loquentem inducit; hac in re nihil negotii est, certe non plus, quam quod Oscus controversiis magis, quam suasoriis a Graecis amatis operam impendisse dicitur; temporibus illis natura Romana satis vigente Graeci se Romanis accommodaverunt; ita Cestius Argentarius aliique multi unius linguae facundia contenti imprimis controversias declamabant. Sed Oscus Latinus, quomodo, ut Massiliae Graeca doceret, factum esse putes? Strabo[113]) ille quidem Massiliam illis temporibus nobilissimis etiam Romanorum, ut discendi studio impulsi pro Atheniensi peregrinatione Massiliensem amplecterentur, persuasisse memoriae prodit; sed idem Strabo eodem loco imprimis Graecarum litterarum studium, ita ut pactorum quoque formulas Graece conscriberent, floruisse auctor est.

Praeterea maxime dubitaverim, numquis Romanus nisi necessitate coactus in illam urbem se contulerit; id quod in Osco Latino maxime mirum fuerit, in Moscho veneficii damnato expeditissimum habemus; neque ambiguitatis figuram, quam in illis verbis „poteram dicere: ave Osce“ pro lingua et nomine inesse persuasum habebat Schottus[114]), spectantibus nobis nostra Moschi mutatione pro Osco plus difficultatitis exoriri videbatur, cum etiam sic, si non melior, at certe figura exstaret[115]).

Accuratius autem illum locum investiganti mihi duae res haud parvam dubitationem iniecerunt, altera, quod mihi non liquebat, quid illis verbis „poteram dicere“ Pacatus sibi vellet, altera quod ipse ille locus mihi cum per se non plane dilucidus esse tum alii Senecae loco adversari videbatur.

Atque primum quidem „non“ vocabulo offendebar[116],a) „Oscus non incommode dixit, sed sibi ipse nocuit; nam dum nihil non schemate dicere cupit, oratio eius non

---

112) Quinctilian IX. 1, 10: „ Est autem non mediocris inter auctores dissensio, et quae vis nominis „eius (figurae) et quot genera et quae quam multaeque sint species. Quare primum intuendum „est, quid accipere debeamus figuram; nam duobus modis dicitur: uno qualiscumque forma „sententiae sicut in corporibus, quibus, quoquo modo sunt composita, utique habitus et aliquis: „altero, quo proprie schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie „cum ratione mutatio, sicut nos sedemus, incumbimus, respicimus; itaque cum in eosdem casus „aut tempora aut numeros aut etiam pedes continuo aut certe nimium frequenter incurrit, prae„cipere solemus variandas figuras esse vitandae similitudinis gratia; in quo ita loquimur, tamquam „omnis sermo habeat figuram, itemque eadem figura dicitur cursitare qua lectitare, id est eadem „ratione declinari; quare intellectu illo priore et communi nihil non figuratum est; quo „si contenti sumus, non immerito Apollodorus incomprehensibilia partis huius praecepta „existimavit“.

113) Strabo IV. 1 5. p. 181. Falc. I. p. 248. of. Friedländer Sittengeschichte II. p. 71.

114) Schott de claris apud Senecam oratoribus. ed. Paris. 1613.

115) Bursian l. l. „Dann erhält auch erst der figurierte Gruss des Pacatus seine scherzhafie beziehung „Grüss Gott Kalb!“ valde gaudeo clarissimum hunc virum hac in re auctoritate sua meam opinionem confirmare; sed cum Schotto etiam praeter hanc mutationem ambiguitatem inesse puto.

116a) Kiessling p. 464. Seneca controv.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

figurata erat, sed prava". Si Oscus nihil non schemate dicebat, quomodo fieri potuit, ut Seneca eius orationem non figuratam esse diceret? Paullo ante, ubi Musam rhetorem describit, ab hoc homine omnia ad ultimum tumorem perducta esse ita, ut non extra naturam essent et ut de corio eius iis, qui eum audirent, satisfieri deberet, memoriae prodit Seneca; acerbissime igitur eum vituperat, sed non dicit Musae orationem tropis caruisse, nam etsi pessimi tropi, tamen tropi erant; ita Osci orationem, si non bene figuratam, at tamen figuratam fuisse censeo, cum nihil non schemate diceret[116],b.)

Iam ad hunc locum comparaveris velim, quae apud Senecam contr. VII. 3, 8[117]) exstant „Memini Oscum, cum loqueretur de hoc genere sententiarum, quo infecta iam erant adulescentulorum omnium ingenia, queri de Publilio, quasi ille iam[118]) hanc insaniam introduxisset". Ibidem hac insania id vitium, quod ex captione unius verbi plura significantis nascatur, intellegendum esse demonstratur. Quomodo autem fieri posse putaveris, ut is, qui de nimis]frequenti ambiguitatis schematis usu quasi de insania queratur, ipse „nihil non schemate" dicere cupiat, atque Seneca eum non incommode dixisse iudicet? Quae si recte disputavimus, „non" elidendum esse videtur superiore illo loco, ita ut legendum sit; „nam dum nihil schemate dicere cupit, eius oratio non figurata erat et prava".

In codice Montepessulano a H. I. Müller, illustrissimo viro, maxime laudato „non" deest. Accedit quod scriptura ita mutata etiam ad illa verba „poteram dicere" lucis mihi aliquid afferri videtur: Pacatus Osci orationem ἀσχημάτιστον leviter perstringens dicit: „poteram dicere, sed vereor ne tibi displiceam, cum a te schemata non amari sciam".

Iam vero ut, quam proposuimus lectionem, eam, sicuti nobis persuasum est, etiam a viris doctis genuinam esse concessum sit, quaeritur, num etiamnunc ea, quae supra de Moscho Apollodoreo et Osco declamatore disputavimus, constare possint; supra ex ipsis illis verbis „dum nihil non schemate dicere cupit" Moschum et Oscum unum eundemque esse rhetorem efficere studuimus; Iam „non" vocabulo expuncto atque sensu plane contrario constituto vix fieri posse videbitur, ut in nostra sententia perseveremus. Tamen, modo ad subtiliorem quandam conclusiunculam confugiamus, etiam nunc Quinctiliani verba ad Senecae locum referre possumus Moschum ut Apollodoreum, cum nullum sermonem non figuratum esse posse itaque incomprehensibilia partis huius praecepta esse existimaret, schemata consulto quaerenda atque indaganda esse negasse licet sane nobis dicere. Sed cum nobis ipsi non multos, ut a nobis stent, eiusmodi subtilitatibus commovere posse videamur, missum faciamus hunc conatum. Moschum et Oscum non duos esse rhetores nobis concedi posse putamus, cum, etiamsi non referri possint Senecae verba ad Quinctiliani locum, attamen non repugnent iis, quae Quinctilianus de Apollodoro monuit. Ibidem schematis vel figurae nomen duobus modis dictum esse disertissimis his verbis exponitur: „uno, qualiscunque forma sententiae, sicut in „corporibus, quibus, quoquo modo sunt composita, utique habitus est aliquis; altero, „quo proprie schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie

---

[116]b) Quinctilian VIII. 3, 59: „quod male figuratum, id ἀσχημάτιστον"; Seneca autem nusquam Moschi orationem male figuratam fuisse dicit.

[117]) Kiessling l. l. p. 325.

[118]) hoc vocabumm ex dittographia ortum non minus elidendum mihi videtur cf. Thomas schedae criticae, dissertatio Berolinensis 1880. p. 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum ratione mutatio.“ Non dubium est, quin hoc altero intellectu, non illo priore, quo nihil non figuratum est, a Seneca schematis vox adhibita sit. Quin etiam angustius terminari posse schematis vocabulum testis est Quinctilianus[119]), cum Zoilus quidam id tantum putaverit schema, quo aliud simulatur dici quam dicitur; atque haud scio an hoc angustissimo intellectu a Seneca acceptum sit.

Quinctiliani[120]) certe temporibus iam fere solum id genus, „in quo per quandam „suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus“ schema vocatum est; hoc genere contineri mihi videntur ea schemata, quae captione unius verbi plura significantis nasci aiebat Cassius Severus[121]); atque Cassius Severus non minus id schematum genus aequalibus suis opprobrio vertit, quam Quinctilianus suis temporibus fuisse, qui „totam hanc rem repudiarent“, memoriae prodidit[122]). Apollodoreos autem in eorum numero fuisse, qui hoc schematum genus aspernarentur, quis est, qui negaverit? Suo loco cum, qua re inter se differant Apollodorei et Theodorei, proponemus, Apollodoreos esse demonstrabimus aut demonstrare studebimus, in eorum numero quos „pondere modo et impulsu proeliari“ Quinctilianus dicit[123]). — Itaque cum paullo ante eo confugere coacti simus, ut Quinctiliani verba non repugnare nostrae coniecturae („Oscum Annaeum esse Apollodoreum“) diceremus, iam ex aliis[122]) Quinctiliani verbis illa Senecae de Osco verba optime cum Apollodoreo coire atque ad eum referri posse effecisse nobis videmur.

Ita iam omni dubitatione exemptum esse videtur in Senecae nostri libro non de Moscho et Osco tamquam de duobus rhetoribus sed de uno eodemque esse cogitandum, sive Moschum sive Moscum eum dici vis.

Ut igitur de hoc Moscho disputata breviter complectamur, fuit Moschus rhetor Pergamenus, popularis Apollodori eiusque discipulus; initio fere principatus Augusti cum Romam migrasset, mox veneficii reus a Pollione et Torquato, sive Manlio, sive Nonio Asprenate frustra defensus Massiliam se contulit ibique scholam aperuit; num artem sive a praeceptore Apollodoro acceptam sive propriam litteris mandaverit, cum auctores huius rei nulli exstent, in suspenso est; declamationibus nimirum ex more illius temporis magnam dedit operam; de declamandi genere, ut id statim hic adiungamus, nihil aliud affirmare licet, nisi nimia subtilitate ipsum sibi nocuisse, cum saepe non incommode diceret.

Iam ad alterum Apollodori discipulum a Seneca adhibitum, ad Vipsanium Atticum, progrediamur.

Ex nomine, si de origine et gente huius rhetoris conicere volueris, Romanum eum fuisse videlicet putaveris; quae res tamen cur suspicionem moveat multa sunt. Senecae primum unicus exstat controversiae XIII. locus, ubi Vipsanii Attici fit mentio[124]). Sane fieri potuit, ut Senecae, quippe qui ad delicias memoriae suae se componere coactus esset, semel tantum Vipsanii nomen praesto esset; miram tamen utpote in Vipsanii nomine hanc memoriae, ut ita dicam, malignitatem esse nemo negabit.

---

119) Quinctil. Institut. IX. 1. 13. et 14.
120) Quinctil. IX., 2, 65.
121) Seneca controv. Kiessl. p. 326.
122) Quinctil. IX. 2. 69.
123) Quinctilian IX. 1. 20.
124) contr. II. 5. 11. Kiessl. p. 209.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quis vero fuit hic Vipsanius? A Seneca in hac quaestione plane destituti sumus; neque quisquam ceterorum antiquitatis scriptorum nos iuvat; ad coniecturam igitur homines docti confugerunt.

Spaldingii[125]), viri illustrissimi, opinionem, Vipsanium nostrum filium esse M. Vipsanii Agrippae, cui Cornelio Nepote auctore[126]) filiam suam Pomponiam collocasset T. Pomponius Atticus, iam accuratissime refellit Piderit[127]); quocum, etsi Kiessling in indice editionis suae ab illa coniectura non plane abhorrere videtur, utique faciendum esse nobis videtur. Qui enim fieri potuit, ut puer, ex Frandseni[128]) haud improbabili coniectura, fere a. u. c. 722, certe autem post bellum Philippense, h. e. post annum u. c. 712 natus, discipulus esset Apollodori, non grammatici sed rhetoris, ante a. u. c. 722 mortui?

Illa igitur sententia refutata ipse Frandsenus[128]) aliam protulit nescio an non magis probabilem coniecturam; ponit enim hunc nostrum rhetorem patrem fuisse M. Vipsanii Agrippae.

Clarus ille M. Agrippa natus fuit anno u. c. 691; pater eius Lucius fortasse anno u. c. 670, vel etiam prius in lucem editus, potuit sane, si temporis solius rationem habemus, Apollodori a. u. c. 650 nati discipulus esse; fortasse etiam „ipse Augustus adulescens cum M. Agrippa huius patri artem rhetoricam Romae profitenti operam dedit;“ quid vero iuvat in eiusmodi coniecturis versari, contra quas facillime pugnari potest? Suo videlicet iure Weichertus[129]) et Piderit[130]) uberrime contra hanc Frandseni disputarunt sententiam; monuit ille, cur M. Agrippa paternum Attici cognomen aspernatus Agrippam cognomen sibi dari maluerit; cui equidem, si ad Frandseni partes accedere placuisset, certe non temere respondere potui: eadem caussa, qua Vipsani nomine quasi argumento paternae humilitatis sublato M. Agrippa dicebatur, unde factum est, ut accusator quidam, cum Agrippa reum defenderet, diceret: „Agrippa Marce, et quod in medio est“; volebat Vipsanium intellegi.[131])

Maius aliquid sibi attulisse videtur Piderit cum dicit: „si rhetor noster revera celeberrimi M. Agrippae pater fuisset, futurum fuisse, ut Seneca profecto eo potius addito, quod sit M.Agrippae pater, quam quod sit Apollodori discipulus, illum virum satis obscurum propius describeret“. Putat enim Piderit nulla alia caussa ea verba „Apollodori discipulo Vipsanio Attico“ addita esse a Seneca, „nisi ut hunc rhetorem aliquo modo lectoribus ostenderet, qui fuerit.“ At ego contenderim ex tota illius loci de divisione et disputatione sequi Senecae multo pluris interfuisse, ut lectores, i. e. filii intellegerent, qua re veteres a recentioribus differrent, nam iam in prima controversia[132]), ubi disertis verbis Annaeus filios suos aestimare iubet, utrum recentium divisio subtilior an tantum operosior sit, quam antiqua, Gallio in iis est, qui in quaestionum accumulatione gloriantur; Gallione autem cum Asinio et Latrone praemisso Atticus Vipsanius pro iis exstat,

125) Spalding ad Quinctil. III. 1. 18.
126) Corn. Nep. vit. Attici c. 12. cf. c. 19.
127) Piderit de Apollodoro et Theodoro rhetoribus. p. 16.
128) P. S. Frandsen M. Vipsanius Agripp. p. 227. Eine historische Untersuchung über dessen Leben und Wirken Altona 1836.
129) Weichert imp. Aug. Caes. rell. p. 83.
130) Piderit lib. l. p. 17.
131) contr. II. 4. 13. Kiessl. p. 201.
132) Seneca ed Kiessl. p. 74, 4. et sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui aut ipsi Graeci aut Graecos sequentes nimias adhibent subtilitates; clare distincteque, postquam Gallionis operosa quaestio memorata est, id a Seneca his verbis monetur: „Idem Attico Vipsanio placuit; hoc ille amplius etc.“

Haec autem subtilitas quaestionumque accumulatio optime cadit in Apollodori „longam principiorum praeparationem et narrationis alte repetitam seriem et multarum „divisionum ostentationem et mille argumentorum gradus[133])“

Quodsi Piderit eum, qui verborum nexum accuratius inspexerit, verba „Vipsanio Attico Apollodori discipulo“ non ad eum finem, ut sententiam huius rhetoris illo loco allatam cum praeceptoris doctrina cohaerere diceret, a M. Seneca addita esse facile intellecturum putat, ego non adversatus sim, cum quod a nobis stet, tum quod mihi difficile diiudicatu esse videtur, quo consilio haec verba scripserit Seneca; sed me non minus meo iure contendere potuisse, haec verba addita esse, ut Apollodoreorum subtilitas notaretur, ita ut „Apollodori discipulo“ pro „ut Apollodori discipulo“ esset, quis est, qui neget? Nihilo secius tamen cum Pideritio contra Frandsenum pugnante consentio de Vipsanio patre hic non cogitari posse. Atque etsi rem acu tetigisse mihi ipse minime videor libentissimeque ex hac lubrica regione in tutiorem provinciam transmigraverim, tamen ne temere eius Weichertique sententiam sequi videar, aliud argumentum pro Weicherto producturus sum.

Eodem controversiae XIII. loco Vipsanius Atticus cum Asinio et Gallione opponi videtur novis declamatoribus; ex novis igitur minime esse potuit; nectamen antiquam simplicitatem in illo invenimus; quid igitur restat? me quidem iudice nihil aliud, nisi ut illum Apollodori discipulum Romanum fuisse negemus, ut Graecum illum esse iudicemus sicuti Arellium, Cestium Pium, alios, quos novi imitandos sibi proposuerunt[134]).

Alterum argumentum quo refelli posse putamus Frandsenum est hoc: L. (Atticus) Vipsanius Agrippa discipulus Apollodori ubinam Apollodoro operam dare potuit? Apollodorus nostra quidem sententia ante annum 711 Romam non adiit; mirum enim foret Ciceronis altum silentium[135]); quin autem L. Vipsanius Agrippa Pergamum studiorum caussa se contulerit, ad humilitatem et ignobilitatem huius familiae spectans valde dubitaverim; utcunque autem de novissimo hoc argumento statuis, omnibus his Weicherti Pideritii meisque argumentis coniunctis minime de Agrippae patre cogitari posse persuasum habeo.

Liceat igitur redire ad coniecturam a Weicherto[136]) prolatam. Apollodoro discipulum fuisse memorabilem Dionysium, civem eius, cognomine Atticum, qui et sophistes fuisset bonus et historiae orationumque scriptor, memoriae prodit Strabo[137]). Ad hunc Dionysium Atticum Quinctiliani verba „sed Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas; quorum diligentissimus in tradendo Latine fuit C. Valgius, Graece

---

133) dialogi de oratoribus auctor c. 19.

134) cf. ea quae de „novorum declamatorum“ notione supra diximus. (pag. 5.)

135) Calidium Apollodori discipulum fuisse dicit Hieronymus. (Hier. chron. ad a. 691: Apollodorus Pergamenus Graecus orator, praeceptor Callidii et Augusti, clarus habetur.) de Calidii (Brutus 274 et 278) Ciceronis iudicium simile est atque Senecae de Turrino, qui Apollodorum secutus multum viribus dempserit; nonne igitur Ciceronis de Apollodoro silentium maxime mirumst.

136) Weichert. Caes. Aug. scr. eorumque rell. pag. 83.

137) Strabo XIII. pag. 896 (ed. Falc.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atticus," pertinere iam Spalding[138]) monuit; Quinctilianus solum Attici cognomen exhibet; unde cogitari potuit de Vipsanio Annaeano; cum autem Atticus Quinctilianeus Graece scripsisse dicatur, iam omni dubio mihi exemptum est non de Vipsanio aliquo sed de Dionysio cogitasse Quinctilianum. Sine dubio ne noverat quidem Quinctilianus Vipsanium quendam; Aliter haec in nomine brevitas permira foret. Accedit quod, uti inter omnes constat, Senecae liber, mendis plane obrutus est. Prae ceteris autem litterarum Graecarum se adeo rudes praebuerunt librarii, ut plerumque lectio genuina erui non possit; insuper Vipsanii et Dionysii vocabulorum, si maiusculis uteris, tanta est similitudo, ut vix nimiae audaciae sit accedere in Weicherti partes, qui in Vipsanii vocabulo genuinae lectionis Dionysii vestigia inesse auctor est; nec non in eadem stant sententia Piderit[139]) et Gruppe[140]). Blassium[141]) de eodem Vipsanio disputantem plane silentio praeterire hanc quaestionem miror.

Iam quoad fieri licet, quis Dionysius ille Atticus sit, discutiam accuratius, vel, quae de eo relata sunt, paucis comprehendam. Per Strabonem[142]) scimus Dionysium fuisse Pergamenum, unde eum iam Pergami Apollodori auditorem fuisse colligere non absurdum fuerit. Cognomen Atticum videlicet accepit propterea, quod ex eorum qui Atticos imitabantur partibus, acerrime fortasse, stetit. Piderit[143]) qua re commotus sit, ut Dionysium Athenis docuisse diuque commoratum esse atque inde Attici cognomen accepisse putaret, me praeterit. Romae eum[146]), modo recte apud Senecam ex Vipsanii nomine Dionysii nomen mutatum sit, per aliquid temporis versatum esse suspicandum est. Num idem sit, atque Dionysius Ciceronis filii praeceptor ab Annaeo[144]) commemoratus in medio quin relinquamus facere non possumus. Blassius[145]) quidem Westermanno leviter perstricto id fieri negans lectorem ad Muellerum H. G. III. 489 remittit.

Dionysium nostrum declamationibus vacasse nec non magna auctoritate fuisse cum ex Annaeo[146]) colligere licet tum Strabo[147]) disertis verbis refert; praeterea eum rerum gestarum scriptorem, *λογογράφον*, fuisse idem Strabo auctor est[147]). Summam autem diligentiam in praeceptis magistri sui exponendis atque ad artem redigendis posuisse videtur Dionysius, cum per eum Apollodori disciplinam optime cognosci posse Quinctilianus [148]) dicat.

Sed haec hactenus. Sequitur ex consilio commentationis nostrae disputatio de Hermagora a nobis instituta; quae quoniam longior est, quam ut finibus scriptioni nostrae concessis capiatur, aliam eius typis mandandae occasionem exspectandam putamus. —

---

138) Spalding ad Quinct III. 1. 18.

139) Piderit, l. l. pag. 17. 140) Gruppe, l. l. pag. 40. 141) Blass, l. l. pag. 158.

142) Strabo, XIII. pag. 896. (pag. 625.) 143) Pid. l. l. pag. 16.

144) contr. I. 4. 11. K. pag. 106.

145) Blass, l. l. pag. 158. adn. 2. Westerm. 86, 13. 14.

146) contr. XIII. 11: pag. 209. Hoc ille (Vipsanius Atticus) amplius: quotiens non poterimus aiebat etc.

147) Strabo 625. (Falc.) *μαθητὴν ἔσχεν ἀξιόλογον Διονύσιον τὸν ἐπικληθέντα Ἀττικὸν πολίτην αὐτοῦ· καὶ γὰρ σοφιστὴς ἦν ἱκανὸς καὶ συγγραφεὺς καὶ λογογράφος.*

148) Quintil. III. 1, 18.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf